

quoniam creatio propriè & in rigore accepta non est mutatio  
*Petrus Hurtadus de Mendoza Diss. IX. Phys. sect. 1. §. 2. hanc ponit*  
*Definitionem: Causa Efficiens est Principium per se influens in aliud*  
*sine sui mutatione ex præcisa ratione influxus.* Plurimum Reve-  
rendus *Petrus Musæus in Instit. Metaph. c. XII. §. 11.* pro ea, qua  
pollet, ἀνεξαρτεία hanc tradidit definitionem: *Causa Efficiens* in-  
quit est causa externa, quæ per potentiam actu existentem in-  
fluit esse in aliud, aut si non influit, intendit tamen & aliquid ad  
ipsum confert.

§. VII.

Quam definitionem Viri acutissimi etiam nos hac vice de-  
osculamur cum melior vix dari posse videatur. Liquido, autem  
patet ex eadem, quod omnino causa moralis ad efficientem per-  
tineat. Licet enim illa non influat revera in effectum, ut causa  
physica; attamen intendit (intentione directa vel indirecta) aut  
aliquid confert ad effectum, prout meridiano lucis jubare clarius  
erit ex paulo post subsecuturis. Vid. *Conimbricenses 2. phys. c. 7.*  
*qv. 7. Thomas 5. Met. cap. 2. Suarez, disp. 18. sect. 10. Favellus 5. Met.*  
*cap. 4. Franciscus d' Abra disp. phys. 2. sect. 2. q. 3. Exell. Dn. D.*  
*Calov. Metaph. div. c. 15. §. 11.*

§. IIX.

Possit autem aliquis contra hanc assertionem urgere & di-  
cere, quod si causa moralis mediante alia causa influat quod non  
differat à causa physica principali, quæ etiam mediante alia influ-  
it, v. g. mediante causa instrumentali sic qui alteri infligit vulnus  
gladio, mediante alio agit. Verum respondemus quod utique dif-  
ferant illæ causæ, quoadmodum influendi. Nam causa Physica  
principalis influit mediante causa Instrumentali, hæc vero mora-  
lis mediantè physica principali tanquam intermedia proxima;  
Sicuti verò Physica principalis differt ab Instrumentali, ita etiam  
moralis distat à Principali Physica ratione scil. influxus. Nam Phy-  
sica revera & influit elevando & movendo instrumentum; mora-  
lis autem revera non influit, sed ita tamen se gerit, ut vel intendat  
effectum, vel agens ad patiens applicet, quo ipsi prudentum æsti-  
matione effectus imputari queat.

§. IX.

Hinc non merentur plausum, qui ad classem materialis  
causæ